



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Sebaldus Conf. 19. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

ita in morte frequentissimè salutavit. Caſam ro-
gatus id ſolum reſpondit: *Morientem illa juvabit me.*
Neque falsus eſt. Viſus inter Angelorum manus
in cælos evolare, auditæque ejuscemodi voceſ: *Sic*
fit fervienti Deo in munditie & puritate. A morte
multi propitium mortales habuerent. Inter hos Dio-
nysium Lufitanorum regem numerant, quem ur-
ſus ex equo in ultimum periculum dejecerat. Sed
in tempore Lvovicus ē cælo adſuit, monſtra-
vitque Dionyſio, qui pagione mortem à ſe in ur-
ſum averteret: Hoc beneficium Lvovici gra-
tumque Dionyſii animum Ædes ſacra extructa &
in Æde Epigraphe hæc (Lvovico SERVATORI)
loquitur. *Ex Lippeloo.*

*Si vis terrenas bestias non timere, ſi vis evitare aves
rapaces, voraces vultures, hoc eſt, aves aëreas, que ſunt
nequitie ſpirituales, elevare à terrâ, terrena defere, ſu-
me alas columba, ſume pennas divini ſolis fulgore ra-
diatas. S. Pet. Chrys. ferm. 98.*

S. SEBALDUS CONF. 19. Augusti.

Regius ſanguis SEBALDVS Sponsam non im-
pari conditione domum duxerat Virgo Vir-
ginem & pietatis amans amantissimam ejusdem.
Ei ſub primam noctem ob oculos SEBALDVS po-
ſuit SPONSAM VIRGINEM SPONSVM QVE JOSE-
PHVM, quos utique non niſi Virgo amor junxit-
ſet. Hos olim jam ostendiffe, poſſe lilia caſta etiam
ē thalamo Virgine ſurgere. Tam gratum cælo
odorem niſi ipſa invidereret, ſtatuiſſe ſe hæc mira-
cula iterum orbi oſtendere. Nihil poterant gra-
tius audire Virginis aures. Itaque bonum factum!
alteræ nuptiæ eādem nocte fiunt, & virginitas
conjugio copulatur. Subinde Romam SEBALDVS
abit,

20. Aug. VITÆ SANCTORVM. 405

abit, & in viâ ecce castitati cibum potumque è cælo Ales ministrat. In reditu apud Ratisponenses foco, cùm ligna deessent, glacies inservit, & adeò virtuti jam unda flamas præbet. Quid? pallio instrato Istrum trajicit (Nymphis credo castitati plaudentibus) talisque nauta oculos alteri nautæ immerito effosso restituit. Moritur deinde anno D.CC.XL. cùm vitam solum propter Norimbergam egisset. Funus feri tauri duxerunt. Adeò omnia alia domat, quisquis carnem. Ex Bar. S. Raderi.

Ah quando tantum Deo, quantum mundo? quando tantum cælo, quantum terra? quando tantum virtuti, quantum vitiis fragilitas humana famulatur? Totus homo sic carni deditur, ut nihil in se, quod divinis bonis deserviat, derelinquat. S.Pet.Chrys.serm.114.

S. BERNARDUS ABB. 20. Augusti.

BERNARDVS est, ille (invidete Mariani) Dei collactaneus, quem mater cùm utero ferret, catellum putavit, sed pro Ecclesiâ latraturum. Puer puer CHRISTVS nocte Natalitiâ visus est, nobilior omni die spectaculum. Adolescens quòd oculum in feminam defixisset, in rigentes aquas insiliit, incendia aquis præventurus. Alias cùm ejus pudori insidias hospita strueret, lairones, latrones iterum iterumque clamavit, ratus dirissimos prædones esse, qui animum castitate exuerent. Hinc ad Cisterciense Monasterium XXX.secum socios traxit. Hos inter cùm fratres omnes BERNARDI præter Nivardum natu minimum essent, & huic Guido natu maximus inter vale dicendum dixisset: *Eis frater te unum iam hereditas paterna spectat;* supra omnes fenes doctè puerulus respondit: